

Nondum completo ætatis ſuæ ſeptennio, vnà cum fratre germano, ad Mauros martyrij flagrans deſiderio, clam properat; quod reſciens mater, per patruum eorundem accerſendos curat; is in via repertos, domum reducit.

Adrian. Collaert sculp.



Undeuigesimo ætatis suæ anno, germano fratre comite, paternas ædes relinquit, carnisq; reluctantis impetu fortiter superato, Abulense sanctimonialium B. Mariæ Virginis de monte Carmelo cœnobium, inscio patre ingreditur.

Adrian. Collaert sculp.

4.



Graui infirmitate laborans, cùm per quatriduum, omnium iudicio mortua crederetur; plurima cùm circa Ordinis ſui reformationem olim euentura, tum circa ſanctitatis ſuæ præconia, et parentum ſaluationem, in mentis exceſſu præcognoſcit.

5. Adrian. Collaert ſculp.



Vehementi pœnitentiæ tacta desiderio, et in suimet odium concitata, corporis mortificationem delicias reputare cœpit,
hinc virgineam carnem clauibus diuerberans, vrticis et id genus alijs asperitatibus domans, spiritui seruam fecit.



Ante Christi plagis tumentis imaginem, pro vitæ in melius mutatione feruenter orans, tota protinus immutata, postulatam gratiam consequitur; paucis inde post diebus, hanc vocem a Deo percipiens; Posthac cum Angelis conuersaberis.

85.



Gloriosos Petrum et Paulum Apostolos sæpius sibi adstantes, opemq; aduersus dæmonis illusiones pollicentes intuetur: nec vana promissio: nam eâ fuit diuinitus illustrata gratia, vt facile omnes dæmonis versutias vinceret.



Per tres annos continuò ferè Christum Dominum a dextris suis gloria præfulgidum conspicit, ipsumq; suauia hæc verba, Filia iam tota mea es, et ego totus tuus, *hisq; similia, magno cum amoris indicio proferentem audit.*



Inter alios mentis exceſſus, in quibus altiſſima præpotentis Dei myſteria, defæcato mentis oculo perluſtrabat, vice quadam Ieſum Chriſtum hæc ſibi dicentem audiuit, Vide filia, quibus bonis ſe priuent peccatores.

11. *Adr. Collaert ſculp.*



Innumeros experta Dei fauores; et cælestium gratiarum vbertate naturam ipsam ſupergreſſa, varias a dæmonibus reportat victorias; eoſdem ceu muſcas deſpicans, arrepto Crucis vexillo, ad certamen impauida conuocat.



Chriſtus Dominus exhibito paſsionis ſuæ clauo, ſpiritualis connubij fœdera cum ea mirificè celebrat, et amoris tenerrimi indicibus hisce verbis eam affatur. Deinceps vt vera ſponſa meum zelabis honorem.

Adrian. Collaert sculp.

13



14

Antiquam Carmelitarum regulam iam pene collapsam, dum inſpirante Deo, priſtino vigori inter moniales conatur reſtituere, Deipara Virgo, ſponſuſq; eius S. Ioſeph, ei apparent: ab his veſte candida induitur, torque pretioſo ornatur, et ambo ſuam opem ſpondent.

Adr. Collaert ſculp.



Dum Deo duce properat ad primi monasterij constructionem, consobrinum infantulum, parietis ruinâ suffocatum, fiducia exuberans Virgo, Deo suppliciter commendat: mox vitæ reddit, et charo pignore mœstam matrem solatur.

15.

Adrian. Collaert sculp.



Constructo primo nouæ reformationis in vrbe Abulâ monasterio, in eodem mentali orationi instanter vacans, a IESV Christo sponso suo, ob varios in eius obsequio passos labores, coronâ fulgentissimâ redimitur.

16.

Adrian. Collaert sculp.



Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum e manibus Abulensis Antistitis, præsentibus monialibus, in nouo monasterio receptura, corpore in aërem, quod frequens eidem erat, mirabiliter extollitur.

17 17. Adrian. Collaert sculp.



Nouam quoq; Religioſorum Carmelitarum reſtaurationem magnanima Virgo mouente Deo molitur, eoq; fine B. P. Ioannem a Cruce, et Vener. P. Antonium a Ieſu, ad priſtinum Carmeli inſtitutum exhortata, inſtruit, et ſeriem gerendorum edocet.

18.




De fructu manuum suarum vineam feracissimam plantauit, et vtriusq; sexus Carmelitarum fœcunda parens effecta, toto terrarum orbe, magnâ gentium deuotione colitur, et ab ea cœpta reformatio, indies propagatur.

Adr. Collaert sculp.



Salmanticam, ad condendum in ea vrbe cœnobium Abulâ concedenti, ingruentes obscuræ noctis tenebræ, iter fallunt; at Angeli Dei in ministerium hominum missi, lucidas faces præferunt, viamq; tutò pandunt.

Adr. Collaert sculp.



Sacerdotem quendam lethali noxæ obnoxium, rem ſacram facientem audit, eius fauces dæmones atrociter ſtringere cernit; verùm vt pro eo liberando deprecetur a Domino monita, quod petijt, confeſtim obtinuit.

21.

21



Venerandum Ordinis ſui Sanctum conspicit, qui ſubiecta verba in libro quem manibus tenebat exarata, ipsi legenda præbuit. Temporibus futuris florebit hæc Religio, multi erunt martyres in ea.

22.

Adrian Collaert sculp.



Diuinæ lucis radijs repentè obumbrata, a Spiritu Sancto, infusa cælitus scientiâ mentem imbuitur: libros quinq; cælesti eruditione fæcundos conscribit, qui vario idiomate, Hispano, Gallo, Italo, Polono, et alijs circumferuntur.



Amoris feruentiſſimo impetu vulnerata e viuis excedit aº 1589, ætatis ſuæ 68, eiuſque morientis lectulo cum Ange-lorum et plurium Sanctorum coronâ Chriſtus aſsiſtit, et cælo expanſo, ex ore Virginis columba candidiſsima euolat.

24. Adr. Collaert sculp.

24



Ab obitu, permultis illustri fulgens gloriâ apparet; præcipuè verò in Segobiensi discalceatarum Ordinis sui monasterio, tribus pariter monialibus in Chori recessu, se conspiciendam familiariter exhibet.

Adr. Collaert sculp.

25 engravings

14 by A. Collaert
1 by C. Galle
9 Unsigned
and Title-page.

EX LIBRIS BIBLIOTECÆ DOMINI J.B. POWIS




IHS
VITA
S. VIRGINIS TERESIÆ
A IESV
ORDINIS CARMELITARVM
EXCALCEATORVM
PIAE RESTAVRATRICIS.
Illuſtriſſimo Domino
D. RODERICO LASSO NIÑO,
Comiti de Añouer,
Sereniſſimi Archiducis ALBERTI
Œconomo ſupremo &c. dicata.
PAX ANIMÆ.
SILEN TIVM.
ANTVERPIÆ
Apud Ioannem Galleum.
M. DC. XXX.



Effigies S.V. TERESIÆ natione Hispanæ, patriâ Abulensis, genere perilluſtris, coeleſti ſapientia diuitis, virtutibus heroicis ſplendidæ, diuinarum affectionum experientia insignis, myſticæ theologiæ scriptione mirabilis, ſummorum laborum patientiâ clariſſimæ, Carmeli reformatione et miraculorum gloria toto orbe laudatiſſimæ.

2.

VITA S. VIRGINIS TERESIÆ A IESV - Adriaen Collaert (1560-c.1618) & Cornelis Galle (1576-1650). Anvers 1613 Ed. 1630 composée de p.g. gravées (non signées) et de 24 gravures, numérotées de 2 à 25, accompagnées de textes en latin. 14 par Adrian Collaert, 1 par C. Galle. 9 non signées, note manuscrite de Julius Held sur pg. 2 de couverture EX LIBRIS BIBLIOTECÆ DOMINI J.B. POWIS.

